

Hist. Brand. D. 9.

7

A V S P I C A T I S S I M U M N A T A L E M
S E R E N I S S I M I A C P O T E N T I S S I M I P R I N C I P I S
A C D O M I N I , D O M I N I

F R I D E R I C I I I I

M A R C H I O N I S B R A N D E N B U R G I C I A C S . R O M .
I M P E R I I A R C H I C A M E R A R I I E T E L E C T O R I S , D V C I S B O R V S -
S I A E , M A G D E B U R G I , C L I V I A E , I V L I A C I , M O N T I U M , S T E T I N I , P O -
M E R A N I A E , C A S S V B I O R V M E T V I N I D O R V M , E T I N S I L E S I A
C R O S N A E , B U R G G R A V I I N O R I M B E R G E N S I S , P R I N C I P I S H A L B E R -
S T A D I I , M I N D A E E T C A M I N I , C O M I T I S H O H E N Z O L L E R A E , M A R -
C A E E T R A V E N S B E R G A E , D Y N A S T A E R A V E N S T E I N I , E T
T E R R A R V M L A V E N B U R G E T B V T A V , E T C .

D O M I N I N O S T R I C L E M E N T I S S I M I ,

E T

Q V E M I P S E I N D V L G E N T I S S I M A V O L V N T A T E
F R I D E R I C I A N A E S V A E C O M M V N E M E S S E I V S S I T ,

Q V O D E C E T R I T V E T D E V O T I O N E
C A L E N D I S I V L I I S c I d I o c X C V
C O N C E L E B R A N D V M ,

E T V N A I T E R A T A M

R E C T O R I S M A G N I F I C E N T I S S I M I
S E R E N I S S I M I I V V E N T V T I S P R I N C I P I S
A C D O M I N I N O S T R I C L E M E N T I S S I M I

F R I D E R I C I W I L H E L M I .

M A R C H I O N I S B R A N D E N B U R G I C I E T E L -
C T O R A T V S A C P R O V I N C I A R V M H E R E D I S ,

N E C N O N

N O V I P R O R E C T O R I S M A G N I F I C I
P R O C L A M A T I O N E M

I N D I C I T

I O A N N E S V V I L H E L M V S B A I E R ,
S . T H E O L . D . E T P R O F . P . E T C O N S I S T . I N D V C A T V M A G D E B .
C O N S I L I A R I V S , A D H V C A C A D E M I A E P R O R E C T O R .

Hist. Boruss.

86,24

Hist. Brandenburg
Fest. I. Bt.



Mminet illa lux in crastinum diem,
quæ ut cunctis regionibus Brandenburgicæ ditionis fausta & exo-
ptata, ita præ ceteris Academiæ no-
stræ auspiciatissima, & maxime læ-
tabilis, & sacra semper ac augusta
debet esse. Iuliæ hæ Calendæ sunt,
quibus ante hos XXXVIII annos, qui lux Branden-
burgicarum gentium, decus ac deliciæ nostrorum tem-
porum, fulcrum & præsidium Romani Imperii, & A-
cademiæ nostræ felix auspicium atque firmissimum tu-
tamentum est, FRIDERICVS III, Marchio &
Elector Brandenburgicus, Dominus noster clemen-
tissimus, Princeps Pius, Felix, Augustus, hanc cæli
lucem adspexit, & tanquam cælestè munus, vti omni-
no est, diuina benignitate terris datus atque conces-
sus fuit. Neminem ergo ita sensus expertem ac pu-
blicæ rei incuriosum putamus, quin eius diei solenni-
tate adficiatur, qui tam caro Capiti & tot bonorum
auctori & conseruatori principium vitæ, totque gen-
tibus felicitatis præsentis augurium fausto omne nec
incerta significatione dedit. Quæ vero omnibus com-
munes rationes sunt, vt diem hunc tanquam festum
ac so-

ac solennem transigant ; eas proprias nobis & nostræ
Academiae esse intelligimus, quæ eodem die, quo ma-
gni Principis & Conditoris sui natalem colit, sua quo-
que initia & augustam dedicationem pio gratoque a-
nimo recordatur. Quum igitur alterum natalem su-
um cras actura sit Academia ; vtique de nouis auspi-
ciis, quibus per proximum annum regatur , cogitan-
dum eidem fuit. Sed in hoc quoque indulgentiam
serenissimi Conditoris prædicamus , qua excelsæ in-
dolis Filium & iuuentutis Principem ac Dominum
nostrum , FRIDERICVM WILHELMVM,
Marchionem Brandenburgicum, & Electoratus ac Pro-
vinciarum Heredem , futuro etiam anno RECTO-
REM Academiæ MAGNIFICENTISSIONVM
præesse, eiusque ornamenta fulgentissimo splendore suo
identidem augere clementissime voluit. Quod sane
certissimum argumentum est, quanto amore indulgen-
tissimus PATRIAЕ PATER hanc Fridericianam
suam complectatur, cui iterum, quem vnicum & caris-
simum habet, Rectorem & Præsidem Filium suum de-
dit. Huius vices vt rite expleantur, curæ nostro Col-
legio fuit, eiusque vnanimi decreto electus est, qui A-
cademiam pro Rectore gubernet, Consiliarius intimus
Brandenburgicus, & Professorum ac Iurisconsultorum
primarius , SAMVEL STRYKIVS, noster fau-
tor & collega plurimi æstimandus , qui eodem cristi-
no die , quod feliciter vertat, PRORECTORIS mu-
nus rite & Academico more in se suscipiet. No-
vum itaque annum , nouumque regimen auspicatus,
id curæ sibi ante omnia habebit, vt serenissimi Electro-
ris

ris natalis dies deuotis gratulationibus celebretur, quas
publico nomine coniunctissimus collega noster ac E-
loquentiæ Professor CHRISTOPHORVS CELLARIUS
perficiet. Augendæ publicæ lœtitiæ caussa & alia so-
lennitas coniungetur, quam laudatissimum Iuriscon-
sultorum Collegium indicabit. Multæ sic rationes no-
bis solennissimi eo die officii sunt, cui & Patres Aca-
demiarum, & singulos Ciues interesse oportet, quos pro
cuiusque dignitate ac honore rogitamus & admone-
mus, vt crastino die hora VIII in Collegio Academiarum
conueniant, & frequenti comitatu ac decenti ordine
Sceptra Academica in Templum Marianum deducant
reducantque, & omnia agant, quæ fausti ominis sunt,
& ad Principis utriusque, a quibus salus pendet Aca-
demiarum, tum Fundatoris liberalissimi, tum magnificentissi-
mi Rectoris in columitatem pertinent, votis nostris atque
precibus identidem Deo commendandam. Ceteros
etiam summos & amplissimos viros, vt sacris his Aca-
demiarum adesse, suaque vota cum nostris coniunge-
re studeant, obseruanter & officiose inuitamus. P.P.
Halæ xxx Jun. CICICXCV.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!



H. Bonn